



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**D. Burchardi VVormaciensis Ecclesiae Episcopi,
Decretorum Libri XX. ex Consiliis, & orthodoxoru[m]
patru[m] Decretis, tum etiam diuersaru[m] nationum
Synodis, ceu loci communes congesti, in quibus ...**

Burchardus <Wormaciensis>

Parisiis, 1549

De clericis qui à medicorum incisione claudi efficiuntur. xv.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10722

D. BURCHARDI EPIS. VVORMAC.

Quod in veteri lege præcipiatur, vt ante vigesimum-
quintum annum Leuita in tabernaculo non
seruirent. Cap. XII.

Ex cõcil. Toletano cap. 20. **I**N veteri lege ab anno vigesimo & quinto Leuita in ta-
bernaculo seruire præcipiuntur, cuius autoritatem in
canonibus sancti patres secuti sunt. Nos & diuinæ legis,
& conciliorum præcepti immemores, infantes & pueros Le-
uitas facimus, ante legitimam ætatem, ante experientiam
vitæ. Ideoque ne vltius fiat à nobis, & diuinæ legis, & ca-
nonum admonemur sententiis: sed viginti quinque anno-
rum ætatis Leuita consecrentur, & triginta annorum præ-
byteri ordinentur: ita vt secundum apostolicum præceptum
probentur primum, & sic ministrent, nullum crimine habentes.

De presbyteris qui sine examine sunt prouecti.
Cap. XIII.

Ex cõcil. Nicæ. ca. 9. **S**I qui presbyteri sine examine sunt prouecti, vel cum
discuterentur peccata sua confessi sunt, & homines con-
tra canones commoti, manus confessis imponere tentaue-
runt, tales regula non admittit: quia quod irreprehensi-
bile est, catholica defendit Ecclesia.

De eo qui sibi volens aliquod membrum truncauerit.
Cap. XIIIII.

Ex decr. Innocentij papa, ca. 28. **Q**VI igitur partem digiti sibi abscidit volens, hunc
ad clerum canones non admittunt. Cui verò casu hoc
accidit: & si in clero fuerit repertus, non abiici.
De clericis qui ad medicorum incisione claudi efficiuntur.
Cap. XV.

Ex cõcil. Hilerdē- si, cap. 20. **S**I quis in infirmitate positus clericus, & medicorum in-
cisione claudus efficitur, promoueri ad sacros ordines
eum non denegamus.

De illis qui inuident fratrum prouectionibus.
Cap. XVI.

Ex cõcil. Africa- no, ca. 54. **C**Lericus inuidens fratrum prouectionibus, donec in vi-
tio est, non promoueat.
Ex eodē, ca. 67. **S**editionarios nunquam ordinandos clericos, sicut nec
vsurarios, vel iniuriarum suarum vltiores.
Cap. XVII.